

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Disputationes philosophicae Modernistam inter et Thomistam.

Praeter iudicium examinis seu consilii requiritur in agenti homine iudicium executionis seu electionis, sub quo continetur imperium.

Still lapidarii elementa.

— De elogii.

Quid Latinorum doctrina ac scientia ad Italorum mediae quae dicitur aetatis cultum humanitatemque contulerit.

Quaestiones philologicae. — Cur syllaba *a* vocabulis græcis praefixa modo intensivam, modo negativam significationem iis tribuat.

Primo anniversario remeante ex quo Alpes per aëronavem a Georgio Chavetto sublimi ausu trajectæ fuerunt (IX kal. Octobris MCMX).

Ex Italis urbibus. De maximo Augustae Taurinorum artium conventu.

Paroemiae sive Adagia. — Manibus pedibusque. — Omnibus nervis. — Velis equisque. — Remis velisque. — Navibus atque quadrigis. — Omnen moveare lapidem.

Colloquia latina. — Praemia.

Acta Pontificia. Constitutio de ieunii atque abstinentiae lege in Dalmatia servanda.

Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae. — Ex Congregatione Concilii. — Ex Congregatione Rituuum.

— Ex Commissione Pontificie de Re Biblica.

Diarium Vaticanicum. Coram SSmo. admissiones. — Pontificiae electiones. — Vita funeti viri clariores.

Annales: Italiām infer et Turcarum imperium disserimen. — In Perside.

Publici per orbem coetus legibus ferendis.

Per orbem.

Aenigmata.

Appendix: Euplius.

DISPUTATIONES PHILOSOPHICAE MODERNISTAM INTER ET THOMISTAM

Praeter iudicium examinis seu consilii requiritur in agenti homine iudicium executionis seu electionis, sub quo continetur imperium.

MODERNISTA. — In colloquio nostro ultimo (1), amice carissime, tu in iudicio practico asserebas, quod nempe bifariam dividebas, scilicet in iudicium consilii et iudicium executionis.

Quum igitur de hoc argumēto nonnisi verbum obiter feceris, a te plura, ut a magistro meo, requirere mihi discipulo tuo liceat: siquidem quaestio huiusmodi nonnullas consequentias, et quidem egregias parere mihi visa est.

THOMISTA. — Ita sit prorsus, carissime. Id tamen praemoneo non de vocibus quidem, sed de rebus ipsis me acturum esse, eaque plenitudine quae sufficiens visa mihi fuerit ad argumenti enucleationem. Quapropter hic nihil disputabo de imperii natura, utrum videlicet voluntatis sit actus an vero rationis; an comprehendat electionem, vel executionem, et ita deinceps. Haec omnia dimittam, ita ut nonnisi post disputationem adhibeantur haec vocabula, quae proinde hinc significatum perspicuum sortientur.

Argumentum igitur enixo animo ineamus.

Id imprimis notandum quod passim tenent omnes, primum finis ultimi amorem nulli imperio hominis subesse, sed tantum instinctui naturae ipsius. Cuius ratio haec est, quia potentia nullo indiget imperio sive impulsu alieno ut moveatur, ubi ex natura ad proprium inclinatur obiectum; quum nempe ad praesentiam obiecti proprii sponte sua eidem adhaereat, atque in idem feratur, sicut instinetus vices imperii cuiuscumque aut

praecepti suppleat. Haud secus voluntas natura propria determinatur ad ultimi finis amorem, neque proinde vi aliqua impulsiva indiget, ut in ipsum reapse tendat et feratur: sed ubicumque finis ille apparebit, ipsa proprio quasi pondere trahitur: ex qua voluntate nulli imperio subiecta vim habebunt omnia proinde alia et imperia et praecepta.

Ubi autem de electione agitur, tenendum est requiri, praeter illud iudicium consilii, quo decernitur de eligibili unius pree alio, iudicium executionis, quo prescribatur executio eius quod per consilium fuit determinatum.

Ratio autem potior asserti haec est, quod nempe iudicium consilii circa aliquid agendum supponit quidem nonnullum amorem finis, nullatenus tamen amorem finis absolutum et efficacem, qui natura propria parat motivum sufficiens eligendi media. Hinc fit quod homo prudens, saepe saepius, ex suam prudentia, inquirit de mediorum sufficientia priusquam determinet intendendum absolute per media finem, seu, ut ait Christus, non determinet turrim aedicandam, priusquam computaverit sumptus necessarios ad perficiendum; quin imo desistet nonnunquam ab huiusmodi concepta intentione, ubi adverterit media esse ad finem insufficientia. Unde transitus ad electionem et actum non fit nisi per iudicium executionis, additum iudicio consilii.

Quae electio sane non potest esse nisi libera. Hinc habes totius rei processum et nexum. Amor quidem finis ultimi, seu boni in communi non cadit sub imperio, quum sit ab ipsam natura inditus, neque ulla vi impulsiva indigeat extrinseca, sed vi propria atque ex instinctu feratur naturaliter et ex se in obiectum.

Ex illo autem amore non imperato omnes alii amores imperati enascuntur. Omnia quippe bona particularia aut singularia continentur ut quaedam partes in illo bono in communi: sed quia non sunt necessario ama-

bilia, amores exinde enati, atque eodem modo in illo primo amore quasi virtualiter contenti, non sunt necessarii et determinati efficaciter, sed determinandi sunt aliquo iudicio, ita ut nempe homo exercite eligat medium, et dum eligit sit sui ipsius iudex, arbiter et interpres, et ita quidem ut ad ipsum pertineat non solum eligere, sed et iudicare ipsam electionem, iudicium ipsum, discernere aliquid esse eligendum p[ro]ae alio simul eligibili, rescire propter quid iudicet et eligat, qua ratione unum p[ro]ae ceteris eligat.

M. — Quod bene paucis verbis contraxit Angelicus tuus, hominem videlicet esse liberum quia in proprias actiones reflectere potest, easque pro merito iudicare.

T. — Bene concludis, amice dilectissime.

Quare igitur distingui probe oporteat inter iudicium examinis aut consilii, et iudicium electionis, iam nunc ex predictis clarius ostendendum videtur.

Ratio distinctionis huius potissima est, quod nempe iudicium diversum occurrere debet pro diversitate obiecti formalis. Aliud porro est obiectum bonum ut amabile, aliud bonum ut reapse amandum et amatum. Illud enim est bonum amatum sub conditione, in quantum nempe ad finem proderit, de cuius utilitate decernitur per iudicium consilii, ut ipsam verba p[ro]ae se ferunt; istud vero est bonum absolute et exercite amandum et amatum, quia ad finem utile vel utilius declaratur ex iudicio nempe electionis.

Ex qua distinctione habes, utrumque et consilii et electionis iudicium differre. Hinc autem sponte et aliae diversitates profluunt, paucis enumerandae verbis.

Quod nempe iudicium consilii decernat de dignitate unius amabilis p[ro]ae ceteris: iudicium vero electionis de debito amoris actualis et exerciti;

quod iudicium consilii potest esse obiective indeterminatum, ubi v. gr. media vel sint vel apparent aequalis vel quasi aequalis utilitatis, unde inquisitio prius necessaria est: iudicium vero electionis, quum sit de actione hie et nunc exercenda, nihil indeterminati patitur, dictatque unam numero actionem;

quod iudicium consilii medium approbet: iudicium vero electionis medium sic approbatum executioni mandet;

quod iudicium consilii retractabile est, atque de eodem appellari potest; imo potest esse sine voluntatis actu quem dictat, siquidem potest voluntas intellectum avertere ab uno iudicio, et propter alia motiva ad aliud iudicium convertere: iudicium vero electionis electionem inseparabiliter unitam habeat, ut alias in proximo scilicet colloquio fusius explanaturi sumus, si Deus deridit;

quod iudicium consilii electionem antecedit prioritate naturae, imo et prioritate durationis, ut experientia non infrequentia patet: dum e contra iudicium electionis nullimode electionem duratione praecedat, sed solum natura;

quod iudicium consilii non supponit actualem et absolutum finis amorem: dum e contra iudicium electionis supponit finem actu et absolute amatum;

quod iudicium consilii antecedit electionem: iudicium vero electionis complectitur ipsam electionem, una cum actuali cognitione;

quod denique iudicium consilii sit pura cognitio et in linea cognitionis per se sistat: quum e contra iudicium electionis inferat impetum quemdam, seu defert amorem finis ad electionem mediorum: unde voluntas sese determinat intelligibiliter ad exercitium actus.

M. — Quae omnia egregii sane momenti esse mihi videntur; sed tamen aliquatenus explananda fusius, quum vel quaedam obscura, vel saltem minus intellecta apparent propter sermonis brevitatem.

T. — Sed omnia ista inferius redibunt melius explananda, atque amplius patebunt: hic solum utriusque iudicij tum consilii, tum electionis interim naturam statuere et enuntiare intendo.

Hoc rursus additum volo, ipsum electionis iudicium duplex reapse dari: aliud nempe ex instinctu naturae, seu superioris causae. Quae distinctio necessaria prorsus est ad discernendum quid sit reipsa imperium.

Quandoque videlicet homo movetur ad actum extrinsecus, quin praesupponatur in ipso iudicante actus voluntatis, a quo procedat in actum: et tunc habetur instinctus; quandoque autem voluntas vel quaelibet alia potentia exit in actum ex actu priori voluntatis, et tunc datur imperium. Quae doctrina Angelici est, ita pronuntiantis: « Quum imperium sit actus rationis, ille actus imperatur qui rationi subditur. Primus autem voluntatis actus ex rationis ordinatione non est, sed ex instinctu naturae aut superioris causae ». (1)

Unde primum iudicium executivum non est imperium, sed instinctus.

Ubi igitur intentio finis absoluta non praecessit consilium, tum iudicium dictans intentionis actum non est imperium, sed instinctus; ubi autem absoluta finis intentio ante consilium praecessit, tunc iudicium inde sequens imperatur, et datur imperium: quia iudicium executionis reapse voluntatem ordinat ut eligat.

M. — Attamen, nonne actus intentionis liber est, proindeque colligendum est illum non posse non esse imperium, siquidem voluntas libera non applicatur nisi per rationem? Instinctus ceterum non est nisi iudicium a natura determinatum ad unum, a quo proinde procedere actus liber nequit?

T. — Cui exceptioni duplex responsio plerumque fit. Quarum prima haec est quod primus actus, nempe amor finis, est quidem a natura ipsa, seu naturalis, hincque liber dici nequit: ut autem respicit media quae varia sunt, et ex quibus nonnulla p[ro]ae ceteris possunt eligi, liber erit, dicique imperium potest.

(1) I - 2^{ae}, q. 17.

Altera autem responsio, doctrinae Angelici conformatior, (1) haec est, quod scilicet primus actus, supponens primum actum intellectus id est cognitionem finis, et primum inde sequutum actum voluntatis, nempe amorem finis absolute, sit ab ipso Deo ut auctore vel naturae vel gratiae, neque ad haec homo se movet, sed a Deo movetur et applicatur, indeque actus ille vocatur instinctus; ceteri vero actus tum intellectus tum voluntatis inde sequuti, sunt ab homine sese per proprium iudicium et voluntatem determinante, proindeque imperati dicuntur, unde habetur et imperium.

Ille prior actus est totum quid a Deo ut a causa efficiente, nihil ab homine: ceteri vero sunt totum quid a Deo, totum quid ab homine, iuxta auream Angelici doctrinam, non autem partim a Deo, partim ab homine.

Imperium igitur non occurrit nisi respectu electionis, seu ut iudicium illud quo homo libere, et seipsum rea-liter et actualiter se movet ad eligendum, quando nempe, sese, mediante ratione, applicat ad alium voluntatis actum.

Alia adduci possunt, quae hic omittuntur, sed postea fusius explananda erunt. Hic nobis id probasse sufficiat, imperium neque esse neque dici nisi respectu electionis, nullimode autem respectu primi ad finem motus, seu instinctus; atque imprimis voluntatem non posse in actum electionis liberum prodire, nisi ex iudicio electionis praevio, prorsus distinetu a consilio iudicio; iudicium electionis rursus esse ex ratione determinatum proindeque simul liberum; idem denique enuntiare debitum et exigentiam τοῦ velle, atque inde praes ferre electionem adiunetam, non quidem necessario, sed infallibiliter.

Quod iudicium non dat posse velle, sed actu velle; neque ut causa τοῦ velle, nisi in quantum infert ipsam met motionem impulsivam et actualem applicationem ad τὸ velle.

M. — Postquam, amice carissime, fusiores quas antea promisisti explanationes exhibueris, nonnulla obiecto mihi occurrentia proponam, non quod doctrinae non arrideant, sed quod penitus intelligere in desideriis habeam.

T. — Bene opinaris fusiori sermone indigere argumentum, propter gravitatem quaestionis: quae tamen omnia, si tibi libuerit, ad proxime sequens colloquium remitteremus.

I. I. B.

(1) I - 2^a, q. 111, a. 2.

Mores primum, mox sapientiam discere, quae sine moribus maledicitur.

SENEC., Epist. 76.

Ut aerugo ferrum, sic invidia quem infectum consumit.

S. BASIUS.

Idem esse debet finis discendi, qui et vivendi.

SENEC., Proverb.

Stili lapidarii elementa⁽¹⁾

V. — DE ELOGIIS.

Quae proferuntur elogia, ea Maffeo, et Muratorio novitatis nomine suspecta prope singula sunt, sed iniuria, ut Morellius pluribus ostendit lib. I, cap. 5. Cave ne honorarios titulos cum Elogiis confundas: illi enim honoris, et monumenti auctorem saepe et curatorem praefrerunt, haec carent neminem; illi causam honoris saepe declarant, haec nullam indicant; illi denique vivis fere honoris causa constituti putantur, haec mortuis memoriae caussa posita prohibentur. Nominandi casus in elogiis adhibetur siquidem nulla in his dedicatio, nulla Senatus, aut Civitatis, aut Magistratum mentio fieri debebat.

Nemo autem putet elogia omnia ad aetatem eam referenda, qua ipsi Duces, quos laudant, floruerunt. Nam viris etiam iamdiu defunctis elogia posita sunt. Sunt qui sub Traiano potissimum Principe illa omnia exstisset arbitrantur.

Vocem ipsam elogium dupli « l » scribit Morellius, Graecos secutus, qui *elogia* efferunt, quod et Latini diu fecere, ut tradit Casaubonus: elogium una « l » scribit Gifanius, eamque scribendi rationem alteri praeferre videtur Forcellinus. Utramvis scribendi rationem sequere. Quoniam autem Elogiorum omnium una fere est dictionis ratio, eaque plerumque simplex, nulla erit quod ad dictionem pertinet distributio. Sed ratione personarum primo magistratum, deinde privatorum, tum foeminarum elogia describemus.

a) Elogia Magistratum.

M. VALERIVS

VOLVSI . F.

MAXIMVS

DICTATOR . AVGVR . PRIMVS . QVAM

VLLVM . MAGISTRATVM . GERERET

DICTATOR . DICTVS . EST . TRIVMPHavit

DE . SABINIS . ET . MEDVLLINIS . PLEBEM

DE . SACRO . MONTE . DEDVXIT . GRATIAM

CVM . PATRIBVS . RECONCILIAVIT . FOE

NORE . GRAVI . POPVLVM . SENATVS . HOC

EIVS . REI . AVCTORE . LIBERAVIT . SELLAE

CVRVLIS . LOCVS . IPSI . POSTERISQVE

AD . MVRCIAE . SPECTANDI . CAVSA . DATVS

EST . PRINCEPS . IN . SENATVM . SEMEL

LECTVS . EST.

Plebem a Moenenio Agrippa in Urbem reductam tradidit Livius (I, XVII, 32). Cicero autem auctor est a Manio Valerio eas discordias esse sedatas: de claro Oratore, num. 54. — *Ad Murciae*; id est apud aram

(1) Cfr. num. sup.

Veneris Mureiae. — *Lectus in Senatum pro « in Senatu », ut habet Tullius (Pro domo sua, cap. XXXI, 82).*

L . MVNATIVS . L . F . L . N . L . P . PLANCVS
COS . CENS . IMP . ITER . VII . VIR
EPVL . TRIVMPH . EX . RHAETIS . AEDEM
SATVRNI . FECIT . DE . MANVBIIS
AGROS . DIVISIT . IN . ITALIA . BENE
VENTI . IN GALLIA . COLONIAS . DE
DVXIT . LVGDVNVM . ET . RAVRICAM

Tresviri Epulones, qui deinde septemviri facti sunt, iidem erant, qui potestatem habebant epulas Iovi, ceterisque Diis indicendi; mensas enim in ipsis templis Diis Maiorum Gentium tamquam epulaturis exstruebant.

b) *Elogia hominum privatorum.*

L . BAEBIVS . L . F .
GAL . IVNCINVS
PRAEF . FABR . PRAEF.
COH . IIII . RAETHORVM
TRIB . MIL . LEG . XXII
DEIOTARIANAЕ
PRAEF . ALAE . ASTYRVM
PRAEF . VEHICVLORVM
IVRIDICVS . AEGYPTI

Gal. — Galeria Abl. Casu, quo tribus efferebatur a Latinis una ex tribubus rusticis. — *Fab.* Fabrum scilicet Fabrorum. — *Praefectus Cohortis Quartae Raethorum.* *Tribunus Militum Legionis XXII.* Deiotarianae, Legiones Deiotarianas memorat Hirtius, quas scilicet Rex Deiotarus disciplina, et armatura Romana complures annos constitutas habebat. — *Astyrum.* Scilicet ex Asturia Regione Hispaniae Tarragonensis. — *Praefectus Vehicularum* ille fortasse, qui vehicula a Provincialibus in expeditionibus Imperatorum exigebat, et impedimenta castrorum convehenda curabat. In Aegypti provinciam Praefectus mittebatur, qui Praefeturam, et Imperium ad similitudinem Proconsulis habebat, sed iuris dicendi causa in eam Provinciam praeter Praefectum, Iuridicus mittebatur.

c) *Elogia foeminarum.*

ATHENAIS . MATER
PHILADELPHI
I . CAESARIS . AVG . ET . LVLIAE . AVG.
SERVI . SCALLIANI . TABVLARI
VIXIT . ANNOS . XXXIII.

Celebratur Athenais quod Philadelphum Scallianum generuit, Servum Tabularium Tiberio, et Liviae, quodque vitam ad annum octogesimum tertium produxerit.

Tabularius erat is, qui rationum tabulas praescribebat, acceptique et expensi rationem conficiebat: interdum etiam Custos Tabularum.

(*Ad proximum numerum*)

Quid Latinorum doctrina ac scientia
ad Italorum mediae quae dicitur aetatis
cultum humanitatemque contulerit.

Quum nostra aetate antiquis bonis litteris bellum atrox nonnulli, nimis quidem audacter, inferant, ut in quasdam umbratiles paene dicam scholas ipsae migrant, ubi rari lectique cultores iis delectentur tantum earumque mira ac singulari laude gloriaque decorentur; haud vanum neque irritum meum incepum erit, si Graecorum, ac praesertim Romanorum cultum atque humanitatem, illis quoque temporibus quae plerumque obscurissima habentur, non omnino esse abiecta atque oblivione obruta ostenderim; quaeque de hac re ab eruditissimis viris investigata ac disputata sint, quam paucissimis quidem, sed quam apertissimis verbis adstricta exhibuerim. Quae enim illi antiquissimi Graeci et Romani tot aetatum cursu senserint, cognoverint atque egerint, a nostris accepta et voce vel scriptis prodita, nunquam de ipsorum memoria excidere, sed ipsorum ad nonnihil contulere. Qua re, si quis unquam sit qui opinionem contrariam et a veritate abhorrentem mente atque animo concipiat, statim, se hucusque vehementer errasse pro certo habens, istam a se expellat ac longe amoveat, quippe quae imperitiam atque inscientiam nulla venia dignam monstrat.

Quod ad consequendum, ne omnia persequar quae de re proposita, iam prope ab omni parte tractata contritaque, sint quaesita ac disputata, rerum quas Novatus (1) ille, nostrarum litterarum clarissimum lumen, fuisus ornatusque disseveruit, summas attingam et plane compositeque referam. Quod si ne hoc quidem totum consequi potuero, benevolentia vestra, optimi ac nobilissimi iudices existimatoresque, qui hunc commentarium legit, mihi certe (haec quidem spes me iuvat) non deerit.

Quum Romanorum imperium omnium quae unquam in terris fuerint maximum, vita moribusque corruptis ac depravatis, magis quam barbararum gentium vi armisque fractum, est collapsum, clarissimorum poëtarum permediocres versuum conditores nulla arte, nulla animi mentisque celeritate praediti, nullo divino afflato permoti locum tenuere, et philosophis hominum rerumque naturam penitus perscrutantibus rhetores loquaces cesserunt. Eo autem corruptionis morumque depravationis perventum est, ut litterarum artiumque splendor ac lumen paene sit obscuratum atque extinctum. Nostra tamen Italia, inter tot tamque corruptas gentes, litterarum cultu quodammodo excellit. Nam quum apud Gallos, apud Hispanos, apud Afros quoddam fuisse poëticum genus corruptum et contaminatum, a pristino splendore et dulcedine alienum, quendam exstisset sermonem abstrusis obsoletisque verbis repletum, inanesque tractatas esse quaestiuellas praesertim de grammaticis rebus, ne dicam nugis, cognoverimus; apud nostros

(1) *L'infusso del pensiero latino sopra la Civiltà Italiana nel Medio Evo.* (Mediolani, MDCCXCIX).

autem, quum ferocium Gothorum imperio adfligerentur, Boëtium et Cassiodorum florere videmus, qui ultimi litterarum artiumque Romanarum heredes appellari possint. Quorum alter veterum doctrinam contemplatione est persecutus, alter ut antiquae Urbis decus gloriamque admirarentur venerarenturque barbarae gentes conatus est. Hic etiam ab oblivionis iniuria veterum Graecorum Romanorumque humanitatem vindicare voluit, eodemque auctore atque hortatore, illi quos dicunt *coenobiarcas* in liberalium ingenuarumque artium studiis sunt versati, et in tanta tamque densa caligine, quae nostram terram obtegebant, quoddam lumen diffuderunt, viam illis qui postea fuere commonstrarunt et, ut fieri solet, digitum ad doctrinæ fontes intenderunt. Itaque in vetustorum morum ruina Urbis imperium labefactante, Latinorum proles aliquas praecipuas insignesque virtutes servavit defenditque; quarum in primis quomodo vere sint res penitus pernoscendi studium atque illud ad communem usum ingenium accommodatum, quo nostri maiores ceteris populis praestitere quoque post longum saeculorum cursum clarissimi fient eorum nepotes.

Qua autem aetate Langobardorum crudelissima gens nostram terram invasit, diripuit atque Italos ad internectionem paene redigit, optimorum studiorum cultus extenuatur ac fere omnino iacuit. Nam contentione exardescente inter illam gentem et Pontifices, Christianæ fidei defendendae studio potiusquam litterarum artiumque contemptu permoti, summi qui religionis rebus praeerant viri, ex quibus Gregorius ille quem Magnum appellant, commemoratur, veterum doctrinæ humanitatique aspernum bellum intulerunt. Quod tamen laicos nostros ab istis admiratione prosequendis et quodammodo colendis non dimovit.

Deinceps Caroli regis, cui Magnus cognomen, temporibus, viri doctissimi non defuere, quibus auctoribus ille optimus populorum moderator est usus ut cultum humanitatemque apud Gallos iam prope oblivione obruta in memoriam revocaret.

Praeterea IX saeculo exeunte, inter tot tempestates ac procellas, viri nobilissimi exstiterunt qui artes litterasque humanas coluerint suaequæ scientiae vestigia nobis tradiderint. Eorum enim carmina quaedam exstant quibus avitas memorias reviviscere, ac post longum temporis spatium Urbis magnitudinem gloriamque commemorari ac celebrari videamus.

Non autem a veritate aberrare videntur qui veteris cultus humanitatisque X saeculo, afflictis rebus Italiciis ex gravissimis calamitatibus, haud rara vestigia persequi posse adfirmant, quamquam eruditissimi nonnulli viri in contrariam iverunt sententiam. Quin etiam, iam eodem saeculo ineunte, litterae artesque magis magisque vigent virentque ita ut inde prima litterarum renascantium apud nostram gentem initia esse repetenda rectius consentiant docti. Tum enim poëtae exstiterunt mirabili quodam antiquitatis studio flagrantes et vergilianis vestigiis praesertim insistentes, quorum nonnullos invenimus exemplar atque imaginem illorum qui humanitatis studia profitebantur (unde apud nos *humanistarum* appellatio) quodammodo præbentes. Neque autem tantummodo Latinitatis studia, sed etiam Graecitatis hoc saeculo in honore fuerunt, quum in Italiae extrema

parte, ubi et in Salernitanis regis aulis, Neapolitanorum principis et in Basiliensis coenobiis memoriae Byzantiarum rerum servabantur, tum in media ac superiore, Roma non excepta, qua in urbe Graeca Latinaque carmina in cantorum schola canebantur. Quae igitur aetas obscurissima ac priscae doctrinæ immemor non iure appellari videtur.

Sed XI saeculo, quum artes florere multasque, propter auctam hominum industriam sollertiajamque, res gestas esse admiremur, et paucos et ingenii vi ac robore paulo praestantiores, quam qui proxima fuere aetate, poëtas invenimus. Si autem ad eam quae sequuta est transeamus aetatem, non modo carmina prope deesse videamus, sed etiam reliqua litterarum monumenta, ex quibus novi sensus mutatique mores clarius redundant ac niteant. Tum vere Graecorum ac Latinorum doctrina nostram vitam moresque informavit atque effinxit. Antiquissimae enim Urbis, quae olim una in omnibus terris domus fuerit virtutis, imperii, dignitatis, memoriam ac recordationem tum fuisse, quaedam traditae consuetudines moresque fidem faciunt. Tot igitur tantisque rebus eversis, maiorum cultus atque humanitas obvione non sunt deleta, neque vetustatis nobilissimæ obsequium est imminutum vel omnino extinctum. Quin etiam quum illa temestate, apud reliquos populos quadam humanitate excultos scientia ac doctrina patrimonium esset ecclesiasticis quasi de iure tribuendum, quumque ceterorum civium mentes rerum omnium quae ad humanitatem et cultum pertineant rudes fuisse videantur; apud nos autem ecclesiastici eruditionem ac doctrinam, tanquam suum ius, sibi non arrogavere, sed omnes cives proprias mentes excolendi exornandique facultate usi sunt. At haec quaestio est diu inter doctos disputata. Ceterum quid antiquitatis effecerit memoria ac recordatio colligi potest ex quadam morum urbanitate dignitateque, quibus decorari huius aetatis Itali videntur, et ex grammaticae dialecticaeque studiis, quibus ipsi operam navarunt, quaeque reconditis atque abstrusis rebus, ad medicinam iuris prudentiamque pertinentibus, viam atque iter patefecerunt, ita ut istarum disciplinarum memoriam se revocasse nostri maiores iure gloriari potuerint.

At ex XIII saeculo veterum Graecorum Romanorumque doctrina apertius celeriusque progreditur ad humanitatem apud nos proferendam ac celebrandam. Plurimae enim artes, quae quid in quaue re veri sit investigant, ut philosophia, ut mathematicae, quas omnes Aristotelis summum ingenium aluit et confirmavit, maxime florent vigentque. Ad easdem quidem plurimum illa aetate contulerunt nostri, quorum opera forenses quoque disciplinae ampliae grandesque sunt factae, ita ut iuris peritorum illa confertissima ac bene instructa legio apud nos exstaret.

Sed hoc cognitionis scientiaeque ardore atque impetu poëtica quodammodo profecit, cuius saeculis actis decus paene extinetum videbatur. Plurimi enim Latinarum litterarum artiumque studio atque amore flagrantes veterumque Romanorum memoria impulsu atque inflati, de variis et interdum tritis rebus, novis pietis coloribus, nonnunquam Vergilii, Ovidii reliquorumque Latinorum poëtarum vestigia persequentes, carmina con-

didisse videntur. Quod vere auream illam nostrarum litterarum renascentium aetatem praenuntiat. Illa autem carmina quae Latinas litteras tum vigentes obtestantur apud nos parum sunt cognita, ne dicam ignorantur, quod eodem tempore aliorum carminum incidit primus ortus, quae et populi animo, quum vulgari sermone essent condita, obversabantur, et rerum novitate omnes litterarum existimatores grammaticosque adeo alliebant, ut ad se, Latinis neglectis carminibus, istos totos converterent.

Contra illa carmina Latino sermone composita requirat, investiget ac per volutet necesse est quisquis nostrae Italiae, de qua agimus, aetatis cultum humanitatemque penitus perspicere ac pernosce velit, eosque eruditissimos viros qui, quasi illi a Lucretio commemorati *vitali cursores*, doctrinae lampada alteri saeculo tradiderint, cognoscere admet.

Nam, ut eadem, qua Novatius ille eruditissimus vir in extrema sua dissertatione, imagine utar, velut per multa saecula, in sepulcro quo corpus in usitata magnitudine strenuissimi cuiusdam viri a Turno illo apud Virgilium celebrato interfecti, erat conditum, ignota arsit illa quae narratur Pallantea lampas iisque restitit eam extinguere conantibus usque adeo, fracto vitro, manu quadam impia evanuit fulgor; ita illo medio quod dicitur aevo, Urbis magnitudinem nobilitatemque tamquam servaret ac custodiret, velut in tenebris et obscuritate, Latinorum cultus atque humanitas permansit ac duravit. Quae quidem aliqui, huius aetatis barbari, sunt direpturi ita, ut ea tueri ac defendere nostrum sit. Illa enim nostrorum maiorum doctrina avitae gloriae velut imago futuraeque certum signum, nostrae genti iam renascenti viam significans, ne emigret e nostris animis, ne e scholis nostris expellatur atque omnino dilabatur cavendum est. Denique curandum, ut quae nostris litterarum monumentis alendis atque suo quodam afflatu nutriendis ad patriae libertatem defendendam nostros homines converterit rapueritque, eandem integrum incolumemque servemus, custodiamus, maximoque cultu ac veneratione prosequamur, quo clarius aequalibus nepotibusque iter indicet nobilitatis illius et gloriae, quae nostrum omnium sunt in votis.

Cavae Tyrrhenorum.

IANUARIUS DE FILIPPIS.

QUAESTIONES PHILOLOGICAE

Cur syllaba à (ἀν, ἀμ) vocabulis graecis praefixa modo intensivam, modo negativam significationem iis tribuat.

Quid consilii nobis quaestiones quasdam philologicas solventibus sit propositum, quem finem quamque rationem persequamur, iam lectoribus Commentarii nostri cognitum esse (1) arbitramur; itaque rem novam sine ambagibus aggredimur discutiendamque propinquimus.

(1) Confr. N. I a. e., pag. 7.

Constat in lingua graeca ad vocabula componenda usitari syllabam à aut, si vocis simplicis initium litera vocalis est, ἀν; ante consonantem autem labialem (π, β, φ) ἀμ. Quae syllaba nunc significationem vocis intendit, nunc annihilat, unde aut à intensivum aut à negativum appellari solet, ut ex his vocabulis videmus: ἀ-ατος; valde noxious, ἀν-σικτός; apertus, ἀμ-φίδιος; manifestus, ubi à (ἀν, ἀμ), propterea quod significationem vocis intendit, intensivum appellari debet; contra in ἀ-μαθής; indoctus, ἀν-έργετος non experrectus propter significationem vocabulorum negatam, negativum appellamus.

En dissentibus linguam graecam aenigma. Quare in ἀν-σικτός; à non negativum; quare in ἀνέργετος non intensivum sit, nonne iure querant et quidem optimo, nam viri rei gnari non ignorant discipulum acrioris ingenii, si tantum accentus vocabulorum transposuerit, iam vicisse, nam ἀνέργετος re vera is est, qui experfieri potest, ἀναικτός autem is, qui aperiendus non est.

Etiam obscurior autem fit quaestio, si occurritur vocabulis cum à (ἀν, ἀμ) compositis, quae significationem, haud mutato accentu modo intentam modo negatam continent, ut ἀν-λεγχτός, quod nunc latino adiectivo «convictus», nunc «non convincendus» respondet, aut ἀργός, quod non solum adiectivo positivo «celer (strenuous)», sed contra etiam saepius negativo «segnis (piger)» vertendum est.

Quid tum? Sufficitne ad rem explorandam perspicendi dissentibus, quod vulgo datur discrimen, nominis à intensivi à privativi? Nugae sunt. Res tandem discipulis, ut ex quinquaginta fere annorum magisterio cognovi, non clarescat, quoad iis radix causeque rei ignota erit, quoad fundamentum duplice significationis eiusdem syllabae praefixa à (ἀν, ἀμ) occultum erit. Hoc utique hic explanandum statuendumque suscepimus.

* * *

Cur fit igitur, ut illud, de quo disceptamus, à duplice voci compositae et, quod summopere est mirandum, contrariam alteram alteri repugnantem significationem tribuere possit? Res prorsus clara fit, si plena illius à intensivi et à negativi formas, ex quibus utrumque emersit, requirimus; nam quid tum invenimus? — à (ἀν, ἀμ) intensivum reliquam esse partem plenae praepositionis graecae àν, quae ita significationes vocum graecarum auget, ut latinum *in* (intentus) aut nonnunquam *per* (perspicuus); à negativum autem esse contrusam formam praepositionis ἀν, quae ut latinum «sine» semper inopiam indicat, itaque negativam vocabulo tribuit significationem (homo *sine* pecunia idem est atque homo *non* pecuniosus); id quod etiam nonnullae recentium linguarum imitantur, quum ad vocem negative componendam pro adverbio negativo praepositionem adhibeant, ut germanica: *ohnmächtig* (*ohne Macht*) pro *nicht mächtig* (*unmächtig*) impotens, ut polonica: *bezkrwawy* (*sine cruore*) pro *niekrwawy* (*incruentus*).

Nunc, opinamur, iam discipulus facile sibi fingat, quare vocabula specie similiter, reapse non pariter, composita, ut una ex parte ἀν-αἱρέω *tollo* (*evertō*) ἀν-αἱρώ *sursum tollo*, ἀν-αἱστώ *surgo*, altera autem ἀν-αἱσθήτεω *sensu careo*, ἀν-αἱσχυντέω *impudens sum*, ἀν-εκπλήττομαι *non obstupesco*, — illa sensum vocis simplicis ageant, haec negent.

Hac via et ratione igitur quaestionem hanc discipulis edisserendam esse putamus, una re praeterea addita — plurimis vocabulis cum οὐ (iv, ἄμ) negativo compositis accentum vocis quam maxime ad initium vocis compositae removeri, ut ἀδόξος (ex ἀνεύ + δόξα) *inglorius*, ἀτιμος (ex ἀνεύ + τιμή) *honore carens*, id quod etiam nonnullarum linguarum recentium est proprium, ut in germanica videmus: *unberühmt ignobilis*, quamquam vox simplex est *berühmt*, *ungesund aegrotus*, quamquam — *gesund*. Quae nota etiam difficultatem significationis distinguenda imminuet.

Varsaviae Polonorum.

JOSEPHUS WABNER.

PRIMO ANNIVERSARIO REMEANTE
EX QUO ALPES PER AÉRONAVEM
A GEORGIO CHAVETIO SUBLIMI AUSU TRAIECTAE FUERUNT

(IX KAL. OCTOBRIS MCMX)

*Terra polusque silent miro commota volatu
Alpium inaccessas exsuperante nives.
Lembus, ab Helvetica sublatuſ in aëra Briga,
Mox, avis instar, agris imminet italicis.
O iuga transcendens alpestria, more aquilarum,
Hactenus ignoto, cymba, magisterio!
Dent mihi Pierides sublimem versibus ausum
Concinere, unde orbis percitus obstupuit!
Ingenii quantum te, Navis, finxit acumen,
Docta super nubes transvolitare leves!
Quale rotis et robur inest, et quanta sub aliſ
Mobilitas, rapidis ictibus usque sonans!
Commentum hoc facinusque decet celebrare per aevum,
Quod caelum terrae subiicit imperio.
Scendentis memorem quid nisuſ Icari Olympum
Vel stultum, incopta turre, Babelis opus?
Audaces sua mens homines compellit in altum,
Urget et aërias alitum inire vias.
Alea iacta fuit: certaminis aerii ordo,
Praemium et indictum, semita pacta, dies.*

*Navis inauditum esto solvere prompta volatum,
Claustri fulminei concrepitante sinu.
Ast ubi nauta, roges, audax concredere vitam
Tam fragili, volitet quae per inane, rati?
En, populi, haud anceps animo Chavetius, ortum
Natio cui, referunt, peruviana dedit.
Hunc nuper stupuit Remensi Gallus in agro
Aëra sulcantem praepeste navigio.
Omnis nunc tellus in eudem lumina vertit,
Ausus Icarios dum renovare porat.
Voices turba fremens, tollitque ad sidera palmas,
Ac si ea scandenti propitiare velit;
Omina et ingeminans: «Faxit superare volantem
Alpina - inclamat - culmina celsa Deus!»
Mirum oculis monstrum! quisnam reputaverit unquam
Fluctivagam astra inter velificasse ratem?
Aspice ut immoto temonem lumine remex
Torqueat intrepidae dexteritate manus;
Concinnos agilesque simul mirare volatus,
Sese per teretes lintre levante gradus!
Plebs en velivolum suda rimatur in aethra
Alterno exsiliens irrequia pede.
Territae abhinc aquilae, nimbis tonitruque suetae,
Insuetam fugiunt horrisonamque feram.
Ut si Pegaseo veheretur in aëra dorso,
Persēi aut celeris cogereſ ala pedes,
Factus iam superi Chavetius arbiter orbis
Huc vetita usque homini regna pererrat ovans.
Sed montis viridi traecto navita amictu
Per concreta gelu flumina signat iter.
Cautes hinc baratrumque horrent, undisque sonora
Late aperit fauces ima vorago nigras.
Illico succedunt iuga foeta furentibus Austris
Et gelidus Boreas flans et utrinque Notus.
Quae classes, quaeve arma sonant? quibus effera castris
Praelia cum nimbis dux aviator init?
Adversis quatitur flabris, miserabile visu!
Hinc procul arcanis pulsus et inde viis.
Non tamen aedopol! obruitur fortissimus heros
Pectore ab aerato propositique tenax.
Missile ceu rapidum obiectam superevolat Alpem
Ausu terrifico, maior et ipse sui,*

*Donec victor io! redimitus tempora lauro,
Attigit Ausoniis littora culta viris.
Italus heic radiat Phoebus: iam vallis Oselae
Subter porrigitur, flumen et arva rigans.
Mox in planitem, populi spectante caterva,
Descendit recto tramite navicula.
At quî nunc crudum recolam, sors invida, casum,
Dignum, quem tellus semper et astra fleant?*

*Namque sub extremo ratis impos facta volatu
Proh dolor! heroem praecipitavit humi.
Num magis hoc possit fangi lacrymabile fatum,
Quo subit in portu navita naufragium?
Salve, Chaveti, per et Alpes victor et auras,
Qui splendes nostro sidus in axe novum!
Mediolani.*


CAESAR MAMBRETTI.

EX ITALIS URBIBUS**De maximo Augustae Taurinorum artium conventu.**

De die in diem universae prope nationes in hoc maximo artium conventu, qui Augustae Taurinorum celebratur rem suam ad unguem redegerunt. Quum tem-

ad operis exemplar confecta, quod olim Raphael Urbinas divino ingenio invexit. Iaponenses longe tamen, sed satis feliciter proximeque procedunt.

Paulo superius, egressis ex Iaponensibus, adest Hunnorum aedicula, quam rectius meritoque splendissimum palatum dixeris. Quot rerum inventa vel ad



Maximi Augustae Taurinorum artium conventus prospectus generalis.

poris brevitate rerumque multitudine premar atque sim
impar in singulis decernendis, paucula obiter dicam.

Si iterum per portam quae ad septemtrionem spectat
introgredieris, dextrorum se se tibi offert Iaponensium
parvula aedicula. De ipsa iam nonnulla antea notavi,
sed iuvabit rem iterum ampliusque enucleare. Populus
hic, quem heri modo inter barbaras gentes incedere
adhuc reputabas, atque a ceterarum nationum numero
reclusum credebas, nunc post recentiores de Russis
victorias relatas, ex improviso inter humanissimas gentes
ponere se haud dubitavit, primum vel in rebus nostrae
aetatis locum obtinet. Eius enim vasa coquinaria, vel
quae ad luxum in primis spectant, innumerabilia sunt,
eorumque gentes praedicant luxuriosiores, ubi haec omnia fluent.

In aedibus Vaticanis, magna civium advenarumque
admiratione, invisuntur tapeta illa immortalia acu picta

vitae rationem melius commodiusque agendum aptissima! Quot modo ad hominum cultum atque ad humanitatem!

Populus Hunnorum « alacris cunctasque putas exce-
dere palmas » qui se nuperrime in libertatem vindicavit,
in contentionem vel de artibus cum ceteris nationibus
nobilissime progreditur. Hinc inde vel ante ostium sex
viri armis vetustissimorum temporum induti, veluti illic
essent positi ut arcem defenderent hostesque arcerent,
ingredientes optime monere videntur inter milites bar-
barosque versari.

Ne dubita, viator, i secure, intro sunt omnia monu-
menta pacis et artium populi, qui bello utique paratur,
sed tranquillitati studet artibusque indulget, quae con-
cordia tantummodo florent atque crescunt.


Quot itaque bona, quot utilia, quotque demum ad
humanitatem pertinent! Adest omnium admirationi vel

in limine elegans militum symplegma qui ad opera incumbunt ad rem domesticam pertinentia. « Lux micat ex oculis, spiratque e pectore flamma! » Diu multumque dubitavi haesitans utrum viventes essent an efficti ! Adeo est felix sculptor.

Res agraria exsultat. Adsunt in primis plurima vinorum specimina et frugum. Et Hunni in artibus, quas maiores nostri *humiles* vocabant, nunc potius *potentiores* adpellamus, praefulgere nituntur. Quae prostant exempla optime produnt qualis sit eorum excellentia et qualis in agricolis praestantia.

Rerum abundantia urget. Si paulo ulterius dextrorsum iterum introeas, tibi se se offert quid nostra Taurinorum civitas, ad aliorum populorum exemplum, proponat, praesertim in iis quae ad civium cultum spectant. Adsunt scholarum descriptiones, adsunt et domus, quae ex temporum ratione pretunicato popello vel pro artificibus aedificari cooptae sunt apud recentiores nationes. Tabulae quoque diligentissime confectae disponuntur, in quibus discipulorum numerus, labentibus annis, adnotatur.

Hinc inde animi commodique causa tabernas invenies, ubi facile poteris potionem frui ex arabicis fabis confecta vel ex recentiorum more, cerevisia vel frigidis liquoribus ad delicias beatiorum apparatus; vel denique diversoriis omnium elegantissimis.



Novus pons super Eridano Augustae Taurinorum.

Ad laevam positus est nuper pons super Eridano, ut utrumque fluminis litus facililime coniungatur.

Sed tempus locusque me monent paucula dicere de magno nupero excellentium virorum congressu, ut

quae ad rem rusticam optime nostra aetate fovendam sint enucleanda.

Interfuerunt Rex, et quotquot Italia adnumerare potest



Taurinensium artium tentorium.

electissimos ingenio atque in patriam caritate illustres.

Luzatius ille, qui nuper ad rerum italicarum gubernacula sedit, mira admodum eruditio atque facundissime disseruit.

Utinam Italiae, rura, nunc male reflecta, quae nutrit Ceres, almaque Faustitas, redeant !

Insequenti die magnus alter atque celeberrimus virorum conventus qui causas agere et defendere leges consueverunt. Si saepe ipsi sunt insigne maestis praesidium reis; saepius tamen, praesertim hac nostra aetate, capitale nefas operosa diluunt arte. — Sed absit ab epistola indignatio. Me plurima manent quae quamprimum enucleabo.

SUBALPINUS.

Nocere posse et nolle laus amplissima est.

PUBLIL. SYRUS, *Mim.*

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Manibus pedibusque.

Extremum conatum significantes, dicimus « manibus pedibusque »; nam per manus declaratur industria conficiendi negotii, per pedes maturandi celeritas. Davus in *Andria* Terentiana: « Ego hoc, Pamphile, tibi pro servitio debeo, conari manibus pedibusque. » Utitur hoc adagio semel atque iterum Aeschines in oratione contra Demosthenem, et etiam Homerus (*Il ad. Y.*).

Omnibus nervis.

Eundem habet sensum « omnibus nervis »; id est: summa vi, summoque studio. Nam robur in nervis vulgo ponitur. Unde et « nervos intendere », « expedire nervos et nervosa », quae vegeta validaque minimeque languida. Cicero ad Quintum fratrem: « Sic contendite omnibus nervis et facultatibus ». Idem *Epist. famili.* (lib. XV): « Omnes nervos in eo contendas ». Item in *Verrem* (act. II): « In quo omnes nervos aetatis industriaeque meae contenderem ».

Velis equisque.

Similem conatum significat ad fugiendum, aut assequendum magis quam ad efficiendum. M. Tullius ad Quintum fratrem (lib. II): « Sic ego, qui in isto homine colendo tam obdormivi diu, te mehercule saepe excitante, cursu corrigam tarditatem tum equis tum velis ». Quamquam in vulgatis exemplaribus pro « velis » passim « viris » scriptum invenimus. — Idem *Offic.* lib. III: « Quibus obsoletis floret Epicurus, eiusdem fere auctor adiutorque sententiae. Cum his equis velisque, ut dicitur, si honestum tueri ac retinere sententia est, decertandum est ». In quibus exemplis usus est eadem metaphora paullo diversius, ut qui illic respexerit ad celeritatem, hic ad utrumque pugnae genus, equestre ac navale.

Remis velisque.

Huic similium est, indeque translatum quod, quum navis simul et remigio et velis impellitur, summus est nautarum conatus. Cicero (*Tuscul. quaest.*, III): « Tetra res est velis, ut ita dicam, remisque fugienda ». Item in *I Philippica*: « Tum vero tam sum cupiditate incensus ad redditum, ut mihi nulli neque remi neque venti satisfacerent ». Plautus in *Asinaria*: « Remigio veloque quantumcumque poteris festina et fuge ». — Quum remigio navis impellitur Graeci « secundarium cursum » appellant; quum velis fertur dicitur « cum secundis ventis »; vertitque in diversum, hoc est in significationem tarditatis metaphoram Aristophanes scribens: « Neque currimus nunc, nec alias impelli-

mur ». Interpres exponit: « Neque ventis neque remis navigamus ». Quamquam nihil prohibet ad equestrem cursum referri. Virgilius simpliciter extulit in *Aeneidos* III:

Laevam cuncta cohors remis ventisque petivit.

Ad haec formam pertinet etiam quod ait Plato (*De legibus*, IX): « Malorum autem consuetudinem fugito irreversim »; hoc est, ne respiciens quidem a tergo. Allusit autem ad Eurydices fabulam, cui lex erat dicta, ne respiceret. Et Virgilius:

Transque caput iace, ne respexeris.

Navibus atque quadrigis.

Pro summo studio summaque festinatione Flaccus dixit « navibus atque quadrigis » in *Epistolis*:

Strenua nox exercet inertia; navibus atque

Quadrigis petimus bene vivere, quod petis hic est.

Plutarchus adversus usuram haec habet quae latine praebemus: « Ne vero tu aut equitatum opportus fueris aut vehicula iugalia cornigera et argento picta, quae celeres usurae assequuntur et praetercurrunt; verum asino quopiam, quemcumque forte nactus fueris, aut caballo, fuge hostem ac tyrannum foeneratorem ».

Omnem moveare lapidem.

Hoc est: « Omnia experiri nihilque intentatum relinquere ». Quod adagium hoc pacto natum esse plerique ferunt: Xerxes, Graecos bello adortus, quum esset apud Salaminam superatus, ipse quidem inde semovit, verum Mardonium reliquit ut bellum prosequeretur. At quum hic quoque in Plateis parum prospere pugnasset, fugatusque esset, fama vulgo invaluit, Mardonium intra ambitum tentorii sui thesaurum ingentem humo defossum reliquisse. Hac spe pellectus Polycrates Thebanus, eum agrum commercatus est; verum ubi iam multum diuque thesaurum quaesiisset, neque quidquam proficeret, Delphicum oraculum consuluit, qua ratione posset eas pecunias invenire. Apollo respondit his verbis: Unumquemque move lapidem. Id simul atque efficeret, multam auri vim in campo reperisse ferunt.

— Sunt qui metaphoram sumptam existiment ab his qui cancros venentur in littore; nam hi plerumque sub saxis latitant, quae movent qui cancros quaerunt.

Effertur adagium pro eo quod est omnia periclitari. Plinius Iunior (*Epist.*): « Ego iugulum statim video; hunc premo. Premit certe quod elegit, sed in eligendo frequenter errat. Respondi posse fieri, ut genu esset, aut tibia, aut talus ubi iugulum putaret. At ego, inquam, qui iugulum perspicere non possum, omnia pertento, omnia experior omnem lapidem moveo ». — S. Basilius ad nepotes: « Ad quod ut viaticum paremus, omnis lapis, ut dici solet, movendus est ».

COLLOQUIA LATINA

Praemia⁽¹⁾

PAULUS. — Iubemus te salvere, Gregori noster.

GREGORIUS. — Salvete, sodales mei dulcissimi; quid agitur?

FAUSTINUS. — Mirabamur paulo ante ego et Paulus ubinam delitesceres; circumferentes enim oculos in omnem partem, cernere te non poteramus eo in loco, quo loco, nisi me fallit opinio, nunquam fuisses quam hodie libentius.

P. — Aliqua de improviso commotiucula te aedibus exire, ut suspicor, prohibuit.

G. — Nulla, Paule.

F. — Quid ergo, amabo te, creavit hanc absentiam?

G. — Dum per tabulata in summis aedibus curro incautius, clavi cuspide e vetusto assere prominente me indui; id vulnus me ut claudum sutorum residere domi solum adegit, et iucundissimi spectaculi fructu privavit. Sed unde vos ad me?

P. — Celeri passu ex ipso theatro huc nos contulimus.

G. — Frons laeta et oculi ludibundi indicio sunt rem cecidisse ut voluistis.

P. — Et ideo addito gradu ad te approperavimus, ut voluptatis te nostra participem faceremus.

F. — Haud aliquando aequa beati fuimus ut hodie.

G. — Audire expeto; praemia nempe et secundam populi admurmurationem consecuti estis.

P. — Qui bene coniiciet, hunc vatem perhibeto optimum. Ita sane; obtinuimus praemia.

G. — Uterque?

P. — Uterque; atque ut nihil omnino dubites, rem ipsam tibi auctorem proferemus. Ecce librum.

F. — Ecce meum.

G. — O venustos! o vere aureolos libros! Nam auro radiant ac fulgent undique.

F. — Considera paullisper emblemata et parerga frontium, quam oculis blandiuntur!

G. — Iste est tuus, Paule?

P. — Meus est.

G. — Ut bene, ut festive impressus est multicipitem Lernae belluam contundens Hercules!

P. — Verte.

G. — O imaginem pulchram! Aeneas patrem suum Anchisen humeris impositum ex incendio Troiano efferens, quem passibus etiam non aequis parvus Iulus sequitur.

F. — Et meus - aspice - quam elegantibus signis insignitus est!

G. — Sic est. Aperi, ut videam quis auctor et qua de re scriptus.

P. — PUBLIUS VERGILIUS MARO.

G. — Anno proximo superiore huiusmodi ego quoque consecutus sum, quem librum, ut gryphes in Riphaeis montibus aurum, custodio. Summopere parentes recreabitis hisce munusculis tam politis et micantibus.

F. — Spero eisdem.

ACTA PONTIFICIA

Constitutio de ieunii atque abstinentiae lege
in Dalmatia servanda.

PIUS PP. X.

Ad futuram rei memoriam. — Romani Pontifices Nostri Decessores, supremi sacrarum disciplinarum custodes et vindices, quum gravis momenti rationes intercederent, spirituali non minus quam corporali christiani populi saluti paterno studio cōsulturi, ecclesiasticarum legum sanctiones immutare ac minuere consueverunt. Iamvero Venerabilis frater Vincentius Pulitic, Archiepiscopus Iadrensum, suo et suffraganeorum Dalmatiae nomine, qui nuper in Comitiis Episcopalibus Phariae habitis illius regionis populi necessitates vigiliter adhibuit, ut ad praecavendam ecclesiasticae legis de ieunio atque abstinentia transgressionem, simulque ad necessariam medelam afferendam, non minus virium imbecillitati ob ciborum esurialium penuriam, quam domesticae oeconomiae ob ciborum earumdem et potissimum piscis in dies succrescens pretium, legem ieunii atque abstinentiae, a Nobis per Decretum Congregationis S. Officii die V Septembris mensis, anno MDCCCCVII, pro universa Italia reformatam, nunc ad Dalmatiam extendere, mutatis mutandis, de Nostra benignitate velimus. Nos autem probe nosecentes ex hac abstinentiae legis relaxatione plura illius regionis populo tum spiritualia tum temporalia bona fore feliciter obventura, superenunciatorum Archiepiscopi et Antistitum vota liberenter excipientes, haec, quae sequuntur, pro universa Dalmatia, de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, perpetuum in modum edicimus. Mandamus videlicet:

I. — Ut ieunium servetur per abstinentiam strictam a carnibus et ab iis omnibus, quae ex carne originem ducunt, lacte scilicet, butyro, caseo, ovis et ex quocumque animali adipe condimentis, quotannis his quatuor diebus tantum: feria sexta Quatuor Temporum in Quadragesima; feria sexta in Parasceve; vigilia Assumptionis B. Mariae Virginis; vigilia Nativitatis Domini.

(1) Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus *Progymnasmata latinitatis* passim retractavit I. F.

II. — Ut ieunium servetur per abstinentiam non strictam, id est a carnis tantum et a iure a carnis quomodocumque expresso, ita ut liceat pro lubitu in praecipua refectione vesci ovis et lacticinis, et tum in eadem principali refectione tum in refectiuncula uti condimento ex quovis adipe, butyro, margarina et similibus, quotannis his, qui sequuntur, diebus: feria quarta Cinerum; feriis sextis et Sabbatis Quadragesimae, feriis quartis et sextis Adventus; feriis quartis, sextis et Sabbatis Quatuor Temporum; vigilia SS. Apostolorum Petri et Pauli; vigilia Annuntiationis B. Mariae Virginis, si in Quadragesimam inciderit; tandem vigilia omnium Sanctorum.

III. — Quum autem pluribus Dalmatiae civibus ob stomachi debilitatem onerosa valde ac molesta evadat in matutino ientaculo arabicae potionis sorbitio absque lacte, indulgemus, ut diebus superiori II indiculo inscriptis, exclusis iugiter feriis quartis, sextis ac Sabbatis Quatuor Temporum, liceat mane in ientaculo vel lae arabicae potionis miscere, vel simplici lacte uti.

IV. — Edicimus praeterea ut huiusmodi abstinentia a carnis dumtaxat et a iure a carnis expresso servetur in universa Dalmatia, etiam omnibus et singulis aliis per annum feriis sextis, absque tamen obligatione ieunii, et consequenter nulla refectionum facta distinctione, quoad ovorum, lacticiniorum et condimentorum liberum usum.

V. — Denique mandamus, ut in omnibus Dalmatiae dioecesibus ieunium servetur toto Quadragesimae tempore, praeter dies iam supra recensitos, ita ut liceat comedere carnes in principali refectione tantum, in refectiuncula vero condimentum adhibere adipis, butyri et simili. Quoad vero carnium et piscium permixtionem in eadem comedione, illam omnino interdicimus diebus, quibus ieunium praecipitur, et durante Quadragesima, etiam diebus Dominicis; ideoque volumus ut omnes, qui a carnis abstinentia dispensantur, nequeant ut huiusmodi permixtione solido Quadragesimae tempore, feriis quartis et sextis Adventus, (in Austria enim in Adventu Domini feriis quartis et sextis et non Sabbatis ieunium praescribitur); tandem Quatuor anni Temporibus et vigiliis supra memoratis.

VI. — Insuper Episcoporum Dalmatiae votis propensa voluntate obsecundantes, concedimus illis facultatem, ut, excepto Adventus et Quadragesimae tempore, tum ieunium, tum abstinentiam, vel pro tota Dioecesi, vel iuxta diversos casus pro determinatis locis, anticipare queant in alium liberum diem; aut etiam, instantibus gravissimis tamen causis sive solemnitatis sive populi concursus, ab obligatione similiter tum ieunii tum abstinentiae omnino dispensare fideles valeant.

VII. — Tandem eorumdem Antistitum optatis annuentes, largimur ut in Dalmatia existentes Regulares Familiae utriusque sexus, quae speciali abstinentiae sive ieunii voto non adstringuntur, eadem ac simplices fideles dispensatione uti, frui licite ex Apostolica beni-

gnitate possint ac valeant. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare, suosque plenarios atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos pertinent plenissime suffragari, sicque in praemissis rite esse iudicandum, irritumque ex tunc fieri atque inane, si securus quidquam super his a quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit. Tandem volumus ut praesentium Litterarum transsumptis, seu exemplis etiam impressis, manu aliquius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate vel officio constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si fuerint exhibitae vel ostensae. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die X Iunii MDCCCCXI, Pontificatus Nostri anno octavo.

R. CARD. MERRY DEL VAL
a Secretis Status.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Concilii.

Dubia circa dies festos recenti Motu Proprio « Supremi Disciplinae » suppressos.

I. — An in festis nuperimo Motu Proprio suppressis quoad forum, nempe SS. Mihi Corporis Christi, Purificationis, Annuntiationis et Nativitatis B. M. V., S. Joseph Sponsi eiusdem B. M. V., S. Ioannis Apostoli et Evang., et Patroni cuiusque loci vel dioecesis, obligatio remaneat Sacrum faciendi pro populo.

Resp. Affirmative.

II. — An in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis omnia in praedictis festis suppressis servanda sint prout in praesenti, sive quoad officiarum choralem, sive quoad solemnitatem tum Missarum tum Vesperarum.

Resp. Affirmative.

III. — An festa ex voto vel constituto, auctoritate etiam ecclesiastica firmato sancita, a numero festorum cum obligatione sacrum audiendi vigore novissimae huius legis expungantur.

Resp. Affirmative.

IV. — An eadem lex novissima de diebus festis servandis immediate vigeat.

Resp. Affirmative.

(Ex deer. d. VIII mens. Augusti MCMXI).

Ex Congregatione Rituum.

De lampadibus electricis in expositione SS. Mihi Sacra-menti.

— Non licet, tempore expositionis privatae vel publicae, interiorem partem Ciborii cum lampadibus e-

lectricis in ea collocatis illuminare, ut Sacra Pixis cum Sanctissimo Sacramento melius a fidelibus conspici possit. (Ex decr. d. xxviii mens. Iulii MCMXI).

Dubium de festo Nativitatis S. Ioannis Baptiste, post decreta in recenti Motu Proprio de diebus festis.

Utrum dioeceses ubi hueusque festum Nativitatis S. Ioannis Baptiste quotannis celebratum est die 24 Iunii eum Apostolica dispensatione a Feriatione, possint hunc diem retinere, vel potius debeant sumere prae-fatam dominicam in kalendario universalis nuper assignatam Nativitati Sancti Praecursoris Domini? — *Resp.* Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ex Commissione Pontificia de Re Biblica.

Rationis periclitandae doctrinae Candidatorum ad Academicos Gradus in Sacra Scriptura, pars altera (1).

II. — DE EXPERIMENTIS AD LAUREAM CONFERENDAM.

Art. I. — De conditionibus ante servandis.

1. — Nisi adsint rationes omnino peculiares, quas iure librare Commissionis est, periculum ad Lauream, quo maturior thesis parari possit, duorum saltem annorum intervallo a Prolytatu distare debet.

2. — Quum nomen suum Rmo. Secretario dat, Candidatus simul indicet titulum et generalem notionem suaे theseos doctoralis, neenon linguam qua eam exarare intendat.

3. — Pariter significet: *a)* librum vel librorum complexum tum Antiqui tum Novi Testamenti, quorum exegesim praeparare intendit, iuxta alterum experimentorum indicem; *- b)* insuper quamnam linguam orientalem ad experimentum dandum elegerit et de quibusnam textibus se interrogari cupiat. Concessa autem idiomata sunt: Syriacum, Assyriacum, Arabicum, Ethiopicum, Copticum et vetus Aegyptiacum.

N. B. — Materia experimenti in linguis debet esse sat ampla, extra textum biblicum, maiori saltem parte, potius diligenda. Propositio operis penes Candidatum est, modo sufficientis sit molis et approbatio Rmorum. Consultorum accedat.

4. — Rmus. Secretarius significabit Candidato utrum theseos argumentum aliasque propositas materias Commissione comprobaverit, et quasnam forte eadem animadversiones fecerit aut mutationes suggesserit.

5. — Ipse vero Candidatus tempestive mittat suaे theseos typice, lithographice aut mechanice editae quindecim saltem exemplaria, ut praeter Emos. DD. Cardinales Pontificiae Commissioni adscriptos, quotquot Rmi. Consultores defensioni theseos interesse cupiant, singuli unum accipient.

6. — Postquam thesis examini iudicium subiecta fuerit, maiorique numero suffragia ferentium probata, Rvamus. Secretarius, auditis Rmis. Consultoribus, cum

(1) Crf. num. sup.

Candidato constituet de die experimento theseosque defensioni assignando.

Art. II. — De experimento deque theseos defensione.

1. — Experimentum duplice parte constat; altera *praeliminari*; altera *solemniori*.

2. — Experimentum *praeliminare*, technicum quodammodo, in duplex periculum dividitur. Interrogandus est Candidatus: *a)* de lingua orientali a se delecta; *- b)* de libris Antiqui vel Novi Testamenti a se propositis, neenon de notionibus ad rem criticam et patristicam spectantibus ad normam adnexi indicis.

Quae omnia experimenta in aula publica habentur ita, ut qui cupierint auditores eisdem interesse possint.

3. — Experimentum *solemnius* duas pariter complectitur partes: lectionem publicam a candidato ex tempore habendam, et ipsam theseos defensionem.

a) — Lectio publice habenda est de argomento a iudicibus delecto e libris utriusque Testamenti ab ipso Candidato propositis, vel de quaestionibus rei criticæ aut patristicæ in adnexo indice descriptis. Candidato conceditur spatium unius horae ad hanc lectionem præparandam. Absoluta lectione, quae quindecim vel vingt momenta non excedat, iudices candidatum tenent sive de argomento lectionis, sive de quaestionibus conexis, quin tamen indicis ambitum excedant.

b) — Defensionem theseos praecedit argumenti expostio nitida, expedita et, quantum potest, plena, quae tamen spatium unius horae nunquam excedat. Tres dein e iudicium collegio thesim ex officio impugnant. Post quos alii quoque Revmi. Consultores quaestiones movere possunt. Spatium utriusque experimenti definitum non est. Suadendum tamen ut unius diei intervallo inter se distent.

4. — Absoluta theseos defensione, iudices conveniunt de admissione Candidati inter se deliberaturi. Cuius deliberationis exitus a Revmo. Secretario die sequenti Candidato significatur.

Art. III. — De expensis a Candidato solvendis.

1. — Candidatus ad Lauream ter centum libellas solvere debet, dimidiam scilicet partem dum thesim doctoralem tradit, alteram antequam eius defensionem suscipiat.

2. — Quae tamen altera pars non est solvenda, nisi thesi iam accepta. Quodsi theseos defensio infelicem habuerit exitum, quinquaginta libellae Candidato restituentur.

Haec altera pars rationis periclitandae doctrinae Candidatorum ad Academicos Gradus in Sacra Scriptura a SS. D. N. Pio PP. X adprobata est die XXIV mens. Maii MCMXI).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Septembri MCMXI).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, eos praesertim qui Sacris Congregationibus aut Tribunalibus praepositi sunt, Urbanos Antistites qui munerum suorum causa Pontificem adire solent, denique Episcopos, qui ad limina Apostolorum venerunt, vir nullus peculiari mentione dignus coram Sanctissimo per mensem admissus est.

Pontificiae electiones.

Provizio ecclesiarum. Per S. Congregationis Consistorialis decreta SSmus. D. N. Pius PP. X has quae sequuntur ecclesias de proprio pastore providit, scilicet: cathedrali ecclesiae Spalatensi praefecit r. d. Antonium Siiroie, presbyterum archidioecesis Iadrensis, rectorem Seminarii theologici centralis; ecclesiae archiepiscopali Kingstonensi r. d. Michaëlem Iosephum Sprat, rectorem ecclesiae S. Michaëlis in oppido *Belleville* eiusdem archidioecesis; ecclesiae cathedrali Reginensi r. d. Oliverium Eleazarum Mathieu, ex-rectorem Universitatis Quebecensis; ecclesiae cathedrali Monasteriensi r. d. Felicem De Hartmann, decanum Capituli Monasteriensis et Vicarium Capitularem eiusdem vacantis dioecesis; titulari ecclesiae episcopali Hemesensi r. d. Georgium De Lucchi, canonicum theologum ecclesiae cathedralis Vicentinae; cathedrali ecclesiae Caliensi r. d. Eladium Perlaza, Vicarium Generalem in civitate vulgo *Calì*; ecclesiae cathedrali Divisionensi r. d. Iacobum Ludovicum Monestès, canonicum cathedralis ecclesiae Agennensis; ecclesiae cathedrali Toletanae in foederatis Statibus Americae Septentrionalis r. p. d. Iosephum Schrembs, hactenus episcopum titularem Sophenensem; ecclesiae archiepiscopali Dubuquensi r. p. d. Iacobum Ioannem Keane, hactenus episcopum Cheyennensem.

— R. P. D. Camillus Laurenti a Secretis dicitur S. Congregationis de Propaganda Fide, atque r. p. d. Adrianus Zecchini, alter a Secretis.

Vita functi viri clariores.

Die VIII mens. Septembri, Cracoviae, cuius dioecesis episcopatum ab an. MDCCXCIV tenebat, supremum obit diem Iohannes de Koziesko Puzyna, Gwoziec ad Leopolim natus d. XIII mens. Septembri MDCCXLII, episcopus electus an. MDCCCLXXXVI, in Sacrum Senatum cooptatus d. XV mens. Aprilis an. MCMI titulo SS. Vitalis, Gervasii et Protasii Inter Vindobonensis Patriciorum Curiae legatos atque intimos Imperii consiliarios adnumerabatur, Rectorisque munus gerebat theologicae disciplinae in athenaeo Cracoviensi.

ANNALES

Itiam inter et Turcarum imperium discrimen.

Dum Gallorum et Germanorum gubernia intersese agunt, ut borealis Africae res componant ad sua utriusque negotia tutanda, en ex improviso aliud, idque gravius discrimin exoritur inter Italos et Turcas. Quamquam non recte «ex improviso» diximus; diuturnum enim tempus est ex quo Itali qui subsequuti sunt administri sine intermissione apud Turcarum imperium de Tripolitanæ

regionis iactura querebantur, quippe quae internis perturbationibus vexata et procul ab omni humilitate et cultu relecta, Italorum negotiis, ob Italorum litorum propinquitatem vita'i satis vi polentibus, maxime obstaret. Quid? Neglectis omnino huiusmodi querimoniis, pro nihilo habito fido praesidio ab Italibus pluribus, et etiam recentibus, Turcici imperii necessitatibus dato, imo spretis audacter, quasi imbecillitatis, Italorum temperationis et patientiae argumentis, eo perventum est, novissimis potissimum temporibus, ut incoepsum quodvis tum in Tripolitania tum in proxima Cyrenaica Itali aggrederentur, obstaculis omnis generis contra fas omne, ex adverso animo et consulta hostili ratione esset obnoxium. Coepit tunc Italicus populus agitari, reposcere utrum ita ultra procedi posset, ut nationis dignitas insanis huiusmodi barbarisque Turcarum consiliis frangeretur, satisfactiōnem iugiter expostulare, idque tam unanimi partium consensu, ut antea nunquam. At Turcum gubernium rem semper in dies trahere, incertas promissiones emittere, caussas praetendere atque ficto, ut Mahumetanorum assolet, animo, dum bona mente facere ostentat, naves bellice munitas in Tripolitaniam mittere. Quarum alterius, *Derna* nomine, ad Tripolim adventu studiose explorato atque confirmato, Italis aequum fuit per *ultimatum*, ut vulgo audit, quaerere ut Tripolitania terra ab Italorum militibus ad negotia sua protegenda pacifice occupari posset; unius diei spatio elapso neque ullo responso, aut hanc facultatem negante, tradito, belli ritu iri processum.

Turcarum protervia postremam hanc discriminis solutionem delegit; quam si, pacis fautores, dolemus, facere tamen non possumus quin bono Italorum iuri, quod universi cultus totiusque humanitatis est, ominemur cessuram.

In Perside.

Mohamed Ali, Persidis thronum a quo fuit depulsus recuperare contendens atque ad hunc finem assequendum cum asseclis suis in bellum profectus, videtur omnem iam spem dimittere debere. Nunciant enim eum a gubernii copiis fusum atque fugatum, ut una cum septingentis militibus sibi tantum relictis ad caudem vitandam in septentrionalis Persidis latebris sese abdere coactus fuerit.

**PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis**

In **Austria** Schoenaich dynastae, bellicae rei administro, a munere recessenti, Von Auffenburg, Bosiae praefectus militaris, suffectus, quem dictant ea condicione officium accepisse, ut leges de

imperii copiis publico legatorum coetui iam propositae integrae servarentur.

In **Batavia** aditiali reginae oratione, ab administrorum praeside perfecta, publici coetus sessiones resumptae.

In **Bulgaria** nova comitia habita, quae parti gubernio faventi secunda omnino cesserunt.

In **Russia**, in Stolypinii nefarie interempti locum, administer primus Kokozowius renunciatus, qui aerario praerat.

PER ORBEM

Die I mens. Septembbris MCMXI Camnago in oppido ad lacum Larium, ubi ortum duxit, monumentum erigitur. Alexandro Volta physico illi, qui electricam pilam reperiens iter primum scientiae novissimae in dies nunc progredienti ac triumphanti constravit.

— d. II aviationis aliae victimae lugentur Cammine, De Grailly, Masson, Northon.

— d. III iuris prudentium conventus Auctustae Taurinorum congregatur.

— d. IV Vindobonae ex operariorum ferriviis addictorum a laboribus suis desertione atque ex nimio victus pretio tumultus fiunt, quos militari manu cohibere oportet.

— d. VI, Neapoli, Caietanus Manfredi, forensis eloquentiae magister maximus, miseram sibi mortem consciscit.

— d. IX in Trasimeno lacu autoscapha patricio comitatu onusta, ventorum vi evertitur. Matronae ac puellae omnes qui in eo erant fluctibus misere obruuntur.

— d. X Aetna mons nova ora per iuga sua aperit: ignis ac torridus limus domus ac sata laeta late conficiunt atque consumunt.

— d. XIII Kiew in urbe monumentum Alexander II, Russorum quondam Caesari, sollemniter dicatur.

— d. XIV ex Hispania seditiones passim ortae nunciantur, et Laviobrica urbs veluti obsidione clausa a gubernio declarata.

— d. XV Kiew in urbe, dum spectaculo coram Imperiali familia acto in theatro adstat, Stolypinius, administratorum Russici consilii praeses, nefaria Bogroffii, advocati cuiusdam ex anarchistarum factione, manu petitur. Ex vulneribus acceptis infelix vir, patriae suae optime meritus, paucos post dies moritur.

— d. XVI loricata Italorum navis, cui a S. George nomen, quae die XII mens. Augusti in submarinos scopulos Neapolitani sinus offenderat, post diuturnos immanesque labores syrtibus tandem liberatur.

— d. XVII in Liguria sinu atriae procellae immensa tum locorum tum hominum damna apportant.

— d. XVIII Vindobonae tumultus, iisque acerrimi, renovantur.

— d. XXI turbo violentissimus ac praerupti ex Vesuve aquae et luti montes oppidis circa Neapolitanum sinum vastitatem inferunt.

— d. XXI Miller et Castellanè Americani aviators et ipsi ausus sui morte poenas luunt.

— d. XXIV Henricus Houssaye, historicus et criticae artis magister inter Gallos paeclarus, Lutetiae Parisiorum sexaginta et tres annos natus obit.

— d. XXV loricata Gallorum navis, cui a Libertate nomen, ignitae pulveris deposito noctu incenso, confringitur. Quingenti circiter ex classariis eius naviumque circum eam in Tolonensi portu anchoris firmatarum caesi, aut graviter vulnerati, lugentur.

— d. XXVI Kiew in urbe, Bogroffius, Stolypinius administrari interfector, suspendii poena vitam finit.

— d. XXVII automobilis currus Lutetiae Parisiorum super ponte, cui ab Archiepiscopatu nomen, alii occurrent, in Sequanam paecepit. Viatorum undecim infeliciter submerguntur.

— d. XXIX in militum aërodromo ad Johannistal, Engelhardt centurio dum aëronavem gubernat, helica necopinato concissa, in terram paecepit ac infelici fato concedit.

— d. XXX in navalibus ad Portsmouth dum torpedines conficiunt cylindrus pyrogramam continens incenditur eiusque schidiae operarios circum offendunt, quorum duo conficiunt pluresque alii vulnerantur.

AENIGMATA

I.

Garrula sum volueris. Frontem mihi sigmate adauge:
Maturae segetis culmina summa not'.

II.

Nomina sume trium, lector bone, bestiolarum:
Immundo gaudet prima i cere luto
Altera perrodit chartas librosque vetustos.
Tertia, felino ne cadat ungue, timet.
Vocibus his iunctis nascetur nobile verbum
Nos patienter onus sustinuisse in ens.

F. P.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem JOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet I. B. FRANCESIA comoediam latinis versibus scriptam, cui titulus:

SATURIO

Aenigmata an. XIV, n. VII proposita his respondent:

- 1) **Cur - Sus - Ursus - Cursus**
- 2) **Aspis.**

Ea rite soluta miserunt:

Don. Macrae, *Edderton in Scotia*. — C. Peltenburg, *Lida*. — Lud. Podobinski, *Neo Saudecia*. — Scriptor Latinus, *Bremiportu*. — I. M. Meunier, *Corbinia*. — A. Faverzani, *Merato*. — Alex. P. Gest, *Trentonio*. — Ad. Kozlowski, *Petricovia*. — A. Renevey, *Estarayor le Lac*. — Lud. Goux, *Bituricis*. — Vine. Starace; Alex. Pintauro, *Neapoli*. — Frid. Horwath, *Vindobona*. — St. Pini; F. Arnori, *Mediolano*. — Paulinus a. S. Iosepho, *Barcinone*. — F. X. M., *Drepano*. — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum*. — Petrus Tergestinus. — Eug. Dolmar, *Nao Eboraco*. — Georg. Archambeault, *Quebeco*. — Lud. Dubois, *Massilia*. — A. Bounin, Aureliano. — P. Prado, *Venetis*. — Alb. Kain, *Dublino*. — Iac. Menendez, *Madrito*. — Barth. Ferraris, *Augusta Taurinorum*. — Fr. Xav. Ghion, *Ostuni*. — Fr. Guerra, *Altis*. — F. Wawer, *Marianopolis*. — Alb. Catteau, *Lugduno*.

Sortitus est praemium:

BARTHOLOMAEUS FERRARIS,
ad quem missum est opus, cui titulus:

HERMANN KRUSEKOPF
QUAESTIONES SOPHOCLEAE

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina Societatis Editricis Romanae.

EUPLIUS

(11)

Actio dramatica a I. B. Francesia versibus senariis exarata.

SCENA X.

VOLUSIUS ET DICTI.

VOLUSIUS.

Quid audio? Siccine fideles Deo?

Sic vos vos geritis Christi discipuli?

MAXIMUS.

Et tu, Volusi, alumnus Christi diceris?

Huic fidem fregit Euplius nuperrime,

Et sacra tradidit praetorio volumina!

VOLUSIUS.

Nondum vocari dignor Christi discipulus,

Probe vestros dolos malos perspicio;

Vos sed infertis Euplio calumniam.

Vos impios ore compellam libero,

Urbem repletis nostram qui discordiis,

Quae pace magna clarescebat undique!

CALVIANUS.

Offendis Caesarem! Tu Christianus es!

VOLUSIUS.

Sic vos me impellitis?

SCENA XI.

OCRIS, NONNULLI CIVES et DICTI.

OCRIS (*prosilit in scenam ferens manu cultrum*)

Cecidit!

OMNES TURBATI.

At quis?

VOLUSIUS.

Quis?

OCRIS.

Euplius!

VOLUSIUS.

Quando?

OCRIS.

Modo!

Eum vidi nuper pensilem laqueo.

MAXIMUS.

Infestas intulit sibi nequam manus.

CALVIANUS.

Actus in angustias dolore sceleris,
Necem consivit infelix sibi impiam.

MAXIMUS.

Sic Christianorum caput disparuit!

CIVIS I.

Oh! pudor!

CIVIS II.

Oh crimen!

CIVIS III.

Quae rerum lacrimae!

(exeunt eiulantibus).

SCENA XII.

OCRIS, MAXIMUS et CALVIANUS.

OCRIS.

Dabis mercedulam, quam tu es pollicitus?

MAXIMUS.

Dabo, sed postea!

OCRIS.

Quid? Nunc! dato!

MAXIMUS.

Accipe! (*Ocris exit*).Euge! Calvianane, res bene contigit,
Ipsi dii nam plurimum nos adiuvant!

CALVIANUS.

Fuit Volusii quam moesta facies!

MAXIMUS.

At ipse Christi fidus est discipulus!
In hunc sit omnis nostra fatigatio.

CALVIANUS.

Actum est de secta Christianorum pessima,
Nostram turbare civitatem solita!
Et ipse nuncum felix dabo Caesari,
Eversam Catanae sectam radicitus,
Et omnes cives venerari numina (*ironice atque elata*
voce).

MAXIMUS.

Nos adorare maxime Mercurium!

FINIS ACTUS SECUNDI.

ACTUS III.

SCENA I.

MAXIMUS et NONNULLI POPULARES.

MAXIMUS.

Adest nunc tempus Christi quo discipuli,
Qui me solebant propulsare immodice,
Quod in meliorem ductus sententiam,
Iam Christi sectam fortiter reliqueram,
Turpem recipient dignam se noxiā.
Hic nam superbos videre nunc perlubet,
Audire rescant quid ut defenserent
Suum Euplium, quem ferebant ad sidera,
Magnis quem nuper excepere laudibus.
Enim mox stimulis punctus conscientiae
Is ultiro codices iudici tradidit,
Vultuque demisso petivit veniam.
Peius his fecit: intulit sibi necem.

I. CIVIS.

Vos occidistis!

II. CIVIS.

Insultatis desuper!

(Ad proximum numerum).